

De his Patrum propositis primo a Patribus deputatis deliberationes habendas esse vidimus supra¹; quae deliberationes referuntur in actis sessionum deputationis de fide. Horum narrationes nimis sane breves uberrime supplentur relationibus, quas unus ex Patribus deputatis de emendationibus propositis et deputationis de iis sententia in Congregatione generali habere debebat². Quae quidem *Relationes*³ praeclarissima sunt ad explicandas Constitutiones subsidia. Agunt enim de omnibus, quae a Patribus propositae sunt, emendationibus ac singulas fere schematum sententias ponderant, dum rationes proponunt, utrum retinendae an aliae a Patribus exhibitae sententiae iis substituendae sint. Habentur autem relationes immediate antequam Patres primo de singulis sententiis, deinde de singulis capitibus, et antequam de integris Constitutionibus sententiam ferant, ut hi, quicquid approbaverint, eo sensu approbasse dicendi sint, quo a deputationis relatore explicabatur.

Ad haec, de quibus egimus, documenta, quibus in omnibus utriusque Constitutionis partibus explicandis continenter utemur, accedunt alia, quae ad singulares quasdam partes explicandas usui erunt, ut diarium, quod unus ex Patribus pro rebus fidei deputatis de historia quarti capituli Constitutionis de Ecclesia scripsit⁴, multaque schemata partium Constitutionum, quae vel in Congregationibus generalibus vel in sessionibus deputationis vel in privatis Patrum conventibus proposita et discussa sunt. Haec suis locis citabimus.

Ita autem documenta citabimus, ut allatis primis verbis inscriptionum indicemus saltem, cuius generis sit documentum, de quo agatur; deinde accurate locum *septimi tomi Collectionis Lacensis*⁵ vel *Actorum et decretorum Concilii Vaticani*⁶ addemus, ubi pars documenti, de qua sermo est, exstet. Septimum autem tomum Collectionis Lacensis vel Acta Concilii Vaticani solis literis C. V. designabimus. Numeri additi libri indicant columnas.

¹ P. 3. 4. Nota 1. p. 6. ² Ibid.

³ C. V. 91 b sqq. 101 d sqq. 127 a sqq. 165 c sqq. 200 c sqq. 232 c sqq. — 304 b sqq. 315 c sqq. 346 c sqq. 388 b sqq. 364 b sqq. 460 a sqq.

⁴ C. V. 1695 d sqq.

⁵ Integer libri titulus est: Acta et decreta sacrorum Conciliorum recentiorum. Collectio Lacensis. Auctoribus Presbyteris S. I. e domo B. V. M. sine labe conceptae ad locum. Friburgi Brisgoviae. 1869—1890.

⁶ Acta et decreta sacrosancti oecumenici Concilii Vaticani. Cum per multis aliis documentis ad Concilium eiusque historiam spectantibus. Auctoribus Presbyteris S. I. e domo B. V. M. sine labe conceptae ad lacum. Friburgi Brisgoviae. 1892.

PARS PRIOR.

CONSTITUTIONIS DOGMATICAE DE FIDE EXPLICATIO.

CAPUT PRIMUM.

Historia originis Constitutionis de fide et conciliaris eius comprobationis.

QUAE Constitutione dogmatica de fide continentur, fere omnia proxime desumpta sunt ex schemate, quod ante Concilium a dogmatica theologorum commissione paratum inscribatur „Schema Constitutionis dogmaticae de doctrina catholica contra multiplices errores ex rationalismo derivatos“¹. Id quum ad Constitutionem de fide recte explicandam summi momenti sit, saepe commemorabimus et breviter dicemus *Schema de doctrina catholica*.

Quod schema complectitur, ut animadvertunt² theologi, a quibus scriptum est, „tres partes praecipuas. In *prima* parte (cap. 1. 2) est per modum detestationis condemnatio *rationalismi absoluti* sub triplici eius forma *materialismi*, *pantheismi* et *rationalismi pressius dicti*, seu, ut aiunt, *rationalismi vulgaris*. In *secunda* et *tertia* parte agitur de *semirationalismo* seu de rationalismo temperatiori, qui derivatione quadam a primo illo pleno naturalismo propagatus, ad homines etiam, qui christiano nomine gloriantur, pervasit et ad varia systemata redactus hinc inde in scholas quasdam coaluit“.

„In *secunda* parte itaque (cap. 3—11) exponitur doctrina catholica contra temperatum rationalismum spectando illum secundum sua *principia formalia*; agitur nimirum de cognitione christiana per fidem divinam in comparatione cum scientia rationali et naturali atque inde

¹ V. ipsum schema C. V. 507 a sqq., adnotationes a theologis ei adiectas ibid. 518 c sqq. — Singulis Constitutionis de fide partibus adnotabimus, ex quibus schematis de doctrina catholica capitibus desumptae sint.

² Schema de doctrina catholica. C. V. 518 d sqq.

de relatione inter revelationem divinam et rationem humanam, inter fidem et scientiam.¹ „Potest vero haec pars secunda distingui iterum in tria membra. In *primo membro* agitur tribus articulis *de revelatione* supernaturali; doctrina nimirum catholica de revelationis *fontibus*, eiusdem *necessitate et obiecto superrationali* exponitur non universim quidem, sed quatenus errores nostrae aetatis id postulare videbantur. In *secundo membro* quatuor articulis tractatur *de fide divina*, quae revelationi respondet; post doctrinam scilicet de fide, *quae creditur*, sequitur declaratio haec altera *de fide, qua creditur*. Errores nostris temporibus circumferuntur potissimum in doctrina *de distinctione divinae fidei a scientia humana; de necessitate motivorum credibilitatis; de virtute fidei in se spectatae*, quatenus supernaturalis est; postremo *de necessitate ac supernaturali firmitate fidei et de obligatione in ea suscepta*. De his igitur hic tractandum est. *Membrum tertium* pariter in oppositione adversus recentes errores habet duos articulos: *de relatione inter fidem divinam et scientiam humanam; tum de incommutabili veritate definitionum doctrinae catholicae prae quovis scientiarum profectu*.²

„In *tertia parte* (cap. 12—18) continetur doctrina contra errores speciales, qui ad perversionem quorundam dogmatum christianorum per methodum semirationalismi et ex ipsis eius principiis formalibus deducti sunt, tum circa sensum genuinum aliarum veritatum fidei, tum maxime circa naturam et gratiam, seu circa ordinem naturalem et supernaturalem.³ „Huiusmodi errores disseminati sunt in doctrina 1. de Deo; 2. de Verbo incarnato; 3. de homine secundum naturam spectato; 4. de supernaturali elevatione hominis.⁴

Quae schemate de doctrina catholica contineantur, clarius fortasse exhibemus, si singulorum octodecim capitum, ex quibus constat, incriptiones referimus. Hae sunt: 1. Condemnatio materialismi et pantheismi. 2. Condemnatio rationalismi. 3. De divinae revelationis fontibus in S. Scriptura et Traditione. 4. De supernaturalis revelationis necessitate. 5. De mysteriis fidei in divina revelatione propositis. 6. De fidei divinae distinctione a scientia humana. 7. De necessitate motivorum credibilitatis. 8. De supernaturali virtute fidei et de libertate voluntatis in fidei assensu. 9. De necessitate et supernaturali firmitate fidei. 10. De recto ordine inter scientiam humanam et fidem divinam. 11. De incommutabili veritate illius dogmatum sensus, quem tenuit et tenet Ecclesia. 12. De unitate divinae naturae seu essentiae in tribus distinctis personis. 13. De divina operatione tribus personis communi et Dei libertate in creando. 14. De Iesu Christi una divina persona in duabus naturis; atque de redemptione et vicaria pro nobis satisfactione per eundem Iesum Christum Dominum Nostrum. 15. De

¹ Schema de doctrina catholica. C. V. 519 a.

² Ibid. C. V. 521 d.

³ Ibid. C. V. 519 b.

⁴ Ibid. C. V. 538 d.

communi totius humani generis origine ab uno Adam; et de natura humana una composita ex anima rationali et ex corpore. 16. De ordine supernaturali et de supernaturali statu originalis iustitiae. 17. De peccato originali; et de poena aeterna destinata cuilibet mortali peccato. 18. De supernaturali ordine gratiae, quae nobis per Christum Redemptorem donatur.

Hoc schema cum theologorum adnotationibus inter Patres d. 10. Decembris in prima Congregatione generali distributum est¹, atque in quarta Congregatione d. 28. Decembris incepit eius discussio². Postquam in hac et sequentibus quinque Congregationibus de eo disceptatum est — orationes de eo habebant Patres triginta quinque —, d. 10. Ianuarii 1870 schema cum obiectis difficultatibus deputationi de fide examinandum atque reformandum traditum est³. Vix non omnes Patres Congregationis generalis in eo convenerant, schema quoad substantiam, i. e. quoad doctrinam in eo contentam et quoad errores, qui in eo condemnabantur, retinendum esse⁴. Formam multi mutandam esse censebant.

Antequam Congregationis generalis de schemate disceptationes finitae erant, deputatione de fide d. 7. Ianuarii in prima, quam habuit, sessione, quum iam pateret, quod Patrum futurum esset de schemate iudicium, de eo deliberationem habuit. Deputati uno consensu censebant, schematis substantiam retinendam esse, quum in eo doctrina catholica vere ac genuina esset exposita, et errores, qui in eo damnarentur, non solum per Germaniam, sed etiam per alias regiones grassarentur. Quae contra illud allata essent, non ita magni esse momenti. In eo etiam omnes consentiebant, quaedam adiicienda, quaedam omittenda esse. Ea putabant omitti debere, quibus liberae scholarum opiniones laederentur. Unus vel duo censebant, etiam ea esse omittenda, quae a prioribus Conciliis iam definita et reiecta essent, contra quos animadvertetur, errores iterum excitatos iterum damnandos esse ita, ut prioris condemnationis fieret mentio. Censebat unus, a condemnandis erroribus abstinendum et solum doctrinam christianam exponendam esse, quum id pro christianis sufficeret, ab iis autem, qui christiani esse nollent, anathemata non curarentur. Ne antiquam quidem Ecclesiam exterorum errores condemnasse. Verum id non placuit: esse, quibus multum prosint anathemata. Inter hos referri praesertim magistros, qui errorum condemnatione eos clarius cognoscant atque moveantur, ut et ipsi eos fugiant et ab iis tradendis abstineant. Errores latius esse diffusos, quam ut eorum damnatio omitti possit. Etiam Apostolos et postea Patres errores etiam gentilium, iudaeorum, moha-

¹ Acta Congregationum gener. C. V. 711 a.

² Ibid. C. V. 714 b.

³ Ibid. C. V. 717 d.

⁴ Cf. relationem Rñi Simor, Archiepiscopi Strigoniensis. C. V. 82 a.

medanorum impugnasse atque Ecclesiam eos, imprimis, quando commiscebantur cum doctrina christiana, in Conciliis saltem particularibus condemnasse¹.

¹ Ex actis sessionum deputationis. C. V. 1647 a. b. — Novo schemati deputatio canones adiecit. Quum in eius discussione unus ex Patribus in Congregatione generali postulasset, ut quatuor canones capituli primi (Emendationes primi capituli. Emend. 28. C. V. 100c) tollerentur, Patres deputationis, duobus quidem contradicentibus, canones retinere constituerunt (Ex actis etc. C. V. 1671d); rationes Rñus Gasser in relatione de emendationibus habita ita exponit: „Deputatio de fide non negat, quod hodie multi offendantur eiusmodi anathematismis; sed si inquiratur causa, cur offendantur, ea non quidem semper, sed vel maxime haec est, quod scilicet pervulgata est ista opinio inter homines, qui censentur cultura polentes: in rebus religionis nihil certo teneri, sed solummodo existere opiniones plus minusve probabiles; hinc vel maxime offenduntur in eo, quod Ecclesia quasdam veritates proponit et quidem sub anathemate proponit contra eos scilicet, qui contrarium tenent errorem, dicens: apud Ecclesiam esse depositum divinum veritatum divinarum, et ab Ecclesia eas veritates proponi auctoritate divina seu infallibili: inde vel maxime offenduntur. Et certe, Rñi Patres, huic perniciosissimo iudicio nullo modo nos possumus aliquid deferre (*Patres aliquot consensum manifestant*), sed potius totis viribus oblectari. Haec est ergo ratio cur generatim deputatio de fide censuerit, canones esse apponendos.

„Sed dicunt aliqui, et obiiciunt: Eiusmodi anathematismis feriuntur etiam homines de Ecclesia bene, imo optime meriti, et etiam qui se humiliter decretis sanctae Sedis subiecerunt; et proinde inuritur eiusmodi hominibus quaedam nota iniuriae, quae iusta non est. Sed, Rñi Patres, nego, et pernego quod contra tales homines et viros anathematismi ferantur. Omnes enim anathematismi feruntur solummodo contra eos, qui contumaciter Ecclesiae contradicunt et contumaciter errorem ab Ecclesia reiectum defendunt.

„Quod vero hoc caput primum attinet, certe non parvi momenti rationes militant pro omittendis canonibus. Sed nihilominus deputatio de fide saltem pro maiori sua parte credidit, etiam in hoc capite non esse recedendum, sed canones esse apponendos. Et quidem inducta fuit maior illa pars deputationis de fide praecipue ea ex causa, quia eiusmodi errores aluntur et defenduntur non solummodo a baptizatis, qui proinde vi baptismatis sunt membra Ecclesiae; sed etiam non raro eiusmodi errores tenentur et defenduntur ab eiusmodi hominibus etiam sub specie veritatis: nam non pauci sunt et praecipue erant penes nos in Germania, qui crediderunt systemata philosophorum quamvis pantheisticorum posse omnino componi cum veritate catholica. Ergo ut Ecclesia tanto malo obviam veniat, deputatio de fide credidit, canones etiam in hoc capite esse condendos.“ (Relatio Vincentii Gasser etc. C. V. 112d sq.) Aliqui tamen, quum de toto schemate ferrentur suffragia, canones tolli vel eorum numerum minui volebant. (Emendationes ad Constit. de fide catholica. Emend. 74 sqq. Cf. etiam infra ultimam adnotationem ad prooemium.)

Quemadmodum deputati in eo consentiebant, quod schema secundum substantiam retinendum esset, ita etiam uno consensu formam schematis mutandam esse dicebant. Volebant omnes, expositionem catholicae doctrinae in singulis capitibus damnationi errorum praemitti. Perspicuitati et brevitati, quantum fieri possit, consulendum esse censent atque curandum, ut dicendi ratio tranquilla sit, ut, quod scholam sapiat, eliminetur, ut verba aspera vitentur atque argumenta brevius proponantur¹.

Voluerunt, theologum, qui ultimam manum schemati admovit, P. Franzelin S. I., de eo proxima sessione disserere, atque tres deputationis Patres a Cardinali Praeside eligi, quibus opus reformandi schematis mandaretur².

Altera deputationis sessione, quum ei schema iam esset traditum, decretum est, ut synopsis orationum, quae de eo in Congregationibus generalibus habitae essent, a theologis conficeretur. Deinde Ioannes Franzelin S. I. coram Patribus de schemate disseruit atque exposuit, quis eius esset finis, rerum ordo, stilus³. Ad reformandum schema a Praeside electi sunt Victor Dechamps, Archiep. Mechliniensis, Lud. Pie, Episc. Pictaviensis, Conradus Martin, Episc. Paderbornensis. Huic ab illis duobus opus perficiendum committitur⁴.

Rñus Martin, ab uno ex theologis adiutus, duos fere menses in schema reformandum atque ad Patrum vota accommodandum impendit. Reformati tandem schematis, quod novem capitibus ac respondentibus canonibus totam materiam prioris schematis complectebatur, priorem partem in sessione tertia deputationis d. 1. Martii Patribus exhibuit⁵.

Haec schematis pars, quae exordio et quatuor capitibus cum undetriginta canonibus constat, eam materiam complectitur, quae undecim primis capitibus prioris schematis de doctrina catholica continebatur. Ea agitur 1. de Deo et mundi creatione, 2. de revelatione, 3. de fide, 4. de fide et scientia⁶. Alterius partis schematis reformati, quae non iam deputationi proponebatur, quinque capitibus et duodetriginta canonibus de singulis illis mysteriis agebatur, quae septem ultimis capitibus prioris schematis de doctrina catholica continebantur⁷.

In tertia sessione Episcopus Paderbornensis, quum deputatis priorem partem exhibuisset, explicavit, quae principia in schemate reformando secutus esset. Dixit, se id semper spectasse, ut votis in Congregatione generali propositis satisfaceret. Substantiam schematis servatam et

¹ Ex actis etc. C. V. 1647c. ² Ibid.

³ Eius disquisitionem v. C. V. 1611a sqq.

⁴ Ex actis sessionum deputationis. C. V. 1647d. — Errat D. Zobl, quum dicit (Vincenz Gasser, Fürstbischof von Brixen, p. 458 sqq.), Episcopum Brixinensem inter tres Patres fuisse, qui ad schema reformandum fuerint electi. ⁵ Ibid. ⁶ V. hanc partem C. V. 1628a sqq.

⁷ V. hanc partem C. V. 1632d sqq.

quantum fieri potuisset, ipsa verba retenta esse; hinc inde, quod in priori schemate in notis adiectum seu implicite dictum esset, in textum receptum et explicite enuntiatum esse. Formam schematis esse mutatam. Quae aliquos offendissent, ommissa, capita doctrinae numero pauciora, in singulis rebus initium semper factum esse ab expositione doctrinae; condemnationem errorum in canones translatam, brevitati consultum, stilum simpliciore, clariorem, puriorem adhibitum esse¹.

Deinde discussione incepta in eadem sessione de prooemio deliberatum est atque in singulas fere lineas sive voce sive scripto propositae sunt emendationes². De his sequenti die in quarta sessione Episcopus Paderbornensis relationem habuit, earumque pars recepta est. Constituerunt Patres, ut in futuris sessionibus omnes emendationes verbis succinctis conceptae scripto exhiberentur³.

Caput primum cum canonibus a Patribus deputatis examinatum est in quinta sessione⁴, et quum in sessione sexta Paderbornensis caput et canones secundum Patrum vota emendata proponeret, prior capituli pars omnium, altera omnium, duobus exceptis, suffragiis probata est. Canones omnibus placuerunt; constitutum tamen est, ne canones quartus, quintus, sextus proponerentur, nisi id a Congregatione generali postularetur⁵.

In priore iam sessione de capite secundo actum erat; in sessione sexta agebatur de eius canonibus⁶. Quod caput cum canonibus reformatum, in sessione septima a Paderbornensi propositum, paucis locis mutatum fere omnibus placuit. Alteram paragraphum (de credendi officio) omnes unanimi consensu in caput tertium (de fide) transferendam esse censuerunt⁷.

De capite tertio et canonibus eo spectantibus disceptatio habebatur in sessione sexta et septima, cumque emendatum in sessione octava proponeretur, in paucis mutatum receptum est. Postea tamen in sessione nona proponebatur et recipiebatur emendatio de officio etiam ea credendi, quae ab ordinario magisterio et universali praedicatione Ecclesiae tamquam revelata proponuntur; novus autem canon, qui proponebatur, hoc loco non videbatur recipiendus⁸.

Discutiebantur caput quartum in sessione octava et eius canones in nona. Quum reformata in decima sessione proponerentur, pleraque

¹ Ex actis deputationis etc. C. V. 1648 a.

² Ibid. C. V. 1648 b sqq., ubi propositae emendationes referuntur.

³ Ex actis deputationis etc. C. V. 1649 d sqq.

⁴ Ibid. C. V. 1651 a sqq. ⁵ Ibid. C. V. 1653 d. Relatio etc. C. V. 86 c.

⁶ Ex actis etc. C. V. 1652 e sqq. 1653 d sqq.

⁷ Ibid. C. V. 1655 b. De paragrapho translata cf. schema deputationi propositum (C. V. 1629 c) cum schemate Congregationi generali proposito (ibid. 72 d).

⁸ Ex actis etc. C. V. 1658 a. Cf. Schema etc. C. V. 73 c.

paucis in locis mutata omnium suffragia tulerunt. Cetera probabantur omnibus, duobus vel tribus exceptis¹.

In eadem sessione decreverunt Patres, ut prooemium et quatuor capita, quae examinata iam erant et approbata, propria fierent Constitutio, quae typis descripta Congregationi proponeretur². Cui Constitutioni deputatio addidit conclusionem, quam prius Episcopus Paderbornensis toti reformato schemati (*novem capitibus constanti*) adiecerat³.

Altera prioris schematis de doctrina catholica pars etiam tamquam propriae Constitutionis schema a Rmo Episcopo Martin deputationi proponitur atque eius examini subiicitur. Quinque eius capitibus et canonibus respondentibus agitur de nonnullis mysteriis fidei: 1. de SS. Trinitate, 2. de hominis creatione et natura, 3. de hominis elevatione et lapsu, 4. de mysterio Verbi incarnati, 5. de gratia Redemptoris⁴. Nomen obtinuit Constitutionis dogmaticae de praecipuis mysteriis fidei. Quae Constitutio conciliariter non est sancta, imo ne proposita quidem Congregationi generali, quare eius historiam non persequimur⁵.

Itaque prior schematis de doctrina catholica pars, seu schema Constitutionis dogmaticae de fide catholica, quale ex deputationis disceptationibus prodiit, inter omnes Patres distribuebatur d. 14. Martii, eique addebatur etiam typis impressa „Ratio in priori schemate dogmatico emendando a Patribus deputatis servata“⁶. Quum disceptatio de schemate in Congregatione generali inciperet, Rmus Simor nomine deputationis de eo relationem habuit⁷. Quae illa ratione Patribus tradita et relatione ab Archiepiscopo Strigoniensi habita de singulis schematis partibus continentur, ea infra referemus, ubi ipsas singulas Constitutionis partes explicamus; quae de schemate universo illis continentur, ad schema illustrandum hoc loco breviter addimus.

Id imprimis deputatio spectasse dicitur, ut postulatis atque votis, quae Patres sive voce in Congregationibus sive scripto proposuerant, quantum fieri posset, omnino religiose morem gereret. Propterea deputationem res, de quibus prius schema egisset, retinuisse, formam

¹ Ex actis etc. C. V. 1658 d. ² Ibid.

³ Schematis pars altera. C. V. 1638 b. Cf. Schema Constitutionis dogmaticae de fide C. V. 77 d. Episcopi Gasser de emendationibus secundi capituli relatio C. V. 131 b. c.

⁴ Cf. Relatio etc. C. V. 209 d sq.

⁵ Quae in sessionibus deputationis de hac altera parte seu constitutione disputata sunt, v. Ex actis etc. C. V. 1658 d sqq. Schema a Paderbornensi propositum v. C. V. 1632 d sqq. Schema iam aliquibus in locis emendatum cum notis theologorum v. C. V. 553 a sqq.

⁶ Acta Congregationum generalium. C. V. 729 d. Schema traditum v. C. V. 69 a sqq. Ratio etc. C. V. 78 a sqq.

⁷ Acta etc. C. V. 730 d. Relatio habetur C. V. 80 d sqq.

mutasse¹. Tractari igitur, quemadmodum a Patribus postulatum esset, primo loco doctrinam, deinde reiici errores, qui doctrinae adversarentur². Hac de causa in ipsa Constitutionis inscriptione vocabula „contra multiplices errores ex rationalismo derivatos“³ suppressa esse. Porro ut eius capita interno aliquo nexu coniungi facilius possent, pro „doctrina catholica“ scriptum esse „fide catholica“. „Quae enim in primis capitibus de Deo rerum omnium creatore et de revelatione proponuntur, pertinent ad ea, quorum cognitio fidem antecedit, sive ad praeambula fidei; deinde agitur de fide ipsa eiusque ad rationem respectu; postremo de praecipuis quibusdam fidei dogmatibus et maxime de mysteriis, sc. de SS. Trinitate, de hominis origine et natura, elevatione et lapsu, de Verbo incarnato et de gratia Redemptoris.“⁴ Visum autem esse „materiam hanc amplam in duas Constitutiones dividere, quarum prior, quae nunc proponitur, de fide catholica generatim, altera de nonnullis fidei catholicae obiectis singillatim ageret“⁵.

Deputatos, aliorum Conciliorum exemplum ob oculos habentes, capitibus addidisse canones, ut tanto facilius, quid doctrinae catholicae adversaretur, cognosceretur, atque errores studiosius et sanctius a fidelibus evitarentur⁶. Tandem eos stilum emendare studuisse⁷. „Postulatum fuit,“ ait Archiepiscopus Strigoniensis in relatione⁸, „ut modus dicendi in primo schemate quem habuimus immutetur, ut stilus aliter reformetur, nempe repurgetur a pulveribus scholasticis, ut Ecclesia in hocce Vaticano Concilio non loquatur in tono disceptantis cum suis discipulis magistri, sed loquatur cum maiestate et loquatur in tono miserentis super erroribus filiorum suorum matris. Essentialis forma omnis conciliaris Constitutionis in primis est, ut doctrina catholica sub sua etiam speciali catholica ratione vere, genuina et sincera proponatur: atque deputatio eam habet firmissimam convictionem, quod hac parte vestro desiderio vestroque postulato satisfecit. Quod attinet autem ad stilum ipsum, nec deputatio credit stilum hunc mutari non posse, nec

¹ Ratio etc. C. V. 78 b. Relatio etc. C. V. 81 d sq.

² Ibid. C. V. 78 c. 82 c sqq. Cur theologi in schemate de doctrina catholica alium ordinem servarint, exponit Franzelin, Disquisitio etc. C. V. 1616 c sqq. ³ Cf. supra p. 11. ⁴ Ratio etc. C. V. 78 c sq.

⁵ Ibid. — Inscriptio optime ex ratione antea allata quadrat in priorem Constitutionem; non item in alteram, qua non de ipso actu vel virtute fidei, sed de aliquibus eius obiectis tractatur; de obiectis enim fidei in omnibus conciliaribus definitionibus agi solet. Postea, ut iam notavimus, alia inscriptio alteri Constitutioni praefixa est.

⁶ Ratio etc. C. V. 78 d sq. Relatio etc. C. V. 84 d sqq. Cf. supra p. 13 sq.

⁷ Ratio etc. C. V. 79 a.

⁸ C. V. 85 b. c. Quid Franzelin de stilo prioris schematis de doctrina catholica disserat, v. in eius Disquisitione. C. V. 1626 b sqq.

deputatio illius est mentis, quod stilus hic repurgari adhuc et longe melior reddi non possit, quam vere hicce occurrit. Praecipua res est, Rm̄i Patres, ut inquirere, ut diligenter discutere velitis, an doctrina, quae in hisce quatuor capitibus continetur, sit vera, genuina, sincera Ecclesiae catholicae doctrina. Posteaquam in hanc veritatem inquisivistis, caetera omnia sunt accidentalialia, caetera omnia sunt exigui negotii. Erit facile, ea, quae vobis visa fuerint, in hocce schemate adhuc modificare atque reformare. Super hac re contendite, ut conveniatis, utrum doctrina, quam hic in isto schemate deputatio proponit, utrum illa doctrina sit vere catholica.“

Relatione habita, quum iam discussio generalis de toto schemate inchoanda esset, primus Praeses Patres, qui de eo dicturi essent, monuit, ut „se cohibeant intra eos limites, qui per discussionem generalem ex rei natura oratoribus praefiguntur, ne evagentur ad particularia sive in prooemio sive in singulis capitibus aut canonibus contenta, de quibus postea locus erit disserendi, quum successive de prooemio seorsim ac pariter seorsim de capite primo, seorsim de capite secundo et sic deinceps tractabitur“¹. Deinde discussio generalis incepta et sequenti Congregatione d. 22. Martii finita est.

In eadem tricesima prima Congregatione incepta est discussio prooemii, quae in antecedenti Congregatione indicta erat. Quatuor Patres de prooemio disseruerunt². Sequenti die, antequam discussio inchoata est, primus Praeses in memoriam revocat, quod paragrapho VII. decreti 20. Februarii praescriptum est, „ut in singularum partium discussionem semper ab oratoribus proponatur formula expensi schematis periodo vel paragrapho substituenda ac Praesidibus post habitum sermonem exhibenda“. Id, addit Praeses, non ab omnibus die antecedenti servatum, sed omnino servandum esse. Postquam septem oratores de prooemio disseruerunt, discussio specialis finita est. Emendationes propositae typis impressae inter Patres d. 24. Martii distribuebantur³.

Die sequenti in decima sexta sessione deputationis de fide agebatur de Patrum emendationibus⁴, et in Congregatione generali d. 26. Martii nomine deputationis de iisdem relationem habuit Archiepiscopus Sirmo⁵. „Ipsae enuntiationes“, inquit, „ostendunt, plurimas illarum, maiorem nempe partem, ad stilum referri, minorem ad accidentalialia

¹ Acta Congreg. gener. C. V. 730 d sq.

² Episc. Strossmayer unus est ex quatuor illis Patribus; partem orationis eius affert Acton (Zur Geschichte des Vaticanischen Conciles, München 1871, p. 87 sqq.).

³ Acta etc. C. V. 732 c sq. 733 b. Emendationes habes C. V. 88 b sqq.

⁴ Ex actis etc. C. V. 1670 a.

⁵ Acta etc. C. V. 734 a. Relationem habes C. V. 91 b sqq.

quaedam, et aliquas tantum minimas observationes tales esse, quae ipsum prooemium in sua substantia, ut ita dicam, afficiunt. . . Illarum omnium enuntiationum, quae hic factae fuerunt, is qui fieri tantum poterit usus, certe fiet per deputationem in revisione huius prooemii. Quod cum, Rm̄i Patres, super prooemio hic proloquentes sciant, atque pro certo teneant, octo illorum declarare non dubitaverunt, se priores acquiescere, atque nolle, ut super suis hic factis enuntiationibus, quarum maxima pars, prouti dixi, stilum, locutionis modum concernunt, vestra suffragia requirantur. Si de capitibus fidei, vel vero etiam de obiecto ipsius disciplinae ageretur, certissime haec ipsorum declaratio ex parte deputationis vix acceptata fuisset: super capitibus enim fidei, quemadmodum etiam super capitibus disciplinae, quoad singulas observationes, quoad singulas animadversiones semper vestra suffragia hac in aula rogabuntur.¹ Deinde Rm̄us Archiepiscopus exposuit, cur deputatio alias emendationes, quae retractatae non essent, recipiendas non esse censeret².

Relatione facta de singulis emendationibus suffragia ferenda erant. Lecta ea decreti pontificii paragrapho, qua modus ferendi suffragia praescribitur, eam explicaturus Subsecretarius addidit: „Meminerint itaque Rm̄i Patres, quod de quavis emendatione actus suffragia ferendi fiet distinctis seu duabus vicibus, ita, ut actus surgendi exprimat tam assensum quam dissensum; nempe qui prima vice surgunt, approbant emendationem propositam, de qua tunc agitur, sedentes vero eandem reiiciunt; dum autem secunda vice de eadem propositione Patres interrogantur, tunc ii, qui surgunt, emendationem propositam reiiciunt, sedentes autem eam approbant.“ Cum autem haec legerentur, Rm̄us Whelan, Ep. Wheelingensis, cuius erant emendationes, de quibus suffragia fierent, proposita retractavit ac Praesides rogavit, ut suffragia non exquirerentur³.

Itaque deputatio prooemium Patrum emendationum ratione habita reformavit⁴, reformatumque inter Patres distribuendum Praesidibus exhibuit. Distribuitur in tricesima quinta Congregatione generali d. 28. Martii⁵ atque in sequenti Congregatione Patrum suffragiis subiectum ab omnibus approbatur⁶. Quoad stilum denuo emendatum praelegitur in vigesima secunda sessione deputationis⁷, atque cum capitibus proponitur in quadragesima quinta Congregatione generali die 12. Aprilis⁸, quum speciali de singulis Constitutionis partibus discussione finita suffragia iam de tota Constitutione ferenda essent.

¹ Relatio etc. C. V. 93 a sqq. ² Ibid. C. V. 93 c sqq.
³ Ibid. C. V. 95 b sqq. Acta etc. C. V. 734 a. ⁴ Ex actis etc. C. V. 1671 b.
⁵ Acta etc. C. V. 734 d. Textum prooemii distributi habes ibid. 96 a sqq.
⁶ Acta etc. C. V. 735 b. ⁷ Ex actis etc. C. V. 1674 a.
⁸ Acta etc. C. V. 739 a.

Discussio specialis primi capituli eiusque canonum in Congregationibus tricesima altera et tertia diebus 23. et 24. Martii locum habuit¹. Emendationes propositae², die 26. Martii inter Patres distributae³, in deputationis sessione 27. Martii examinabantur⁴ et in Congregatione generali tricesima sexta, referente de iis Vincentio Gasser, Brixinensi Episcopo⁵, suffragiis Patrum subiiciebantur⁶.

De primis capituli verbis „Sancta Romana catholica Ecclesia“ dissensus Patrum exstitit, ita ut suffragia ad sequentem diem differenda essent⁷, quo die Brixinensis speciali de iis relatione habita⁸ Patribus persuasit, ut verba retinerent⁹. Quod quidem consilium postea mutatum est, ut infra in speciali commentatione¹⁰ accuratius referemus.

Capiti adiecta est, ut unus ex Patribus proposuit, paragraphus tertia de Dei providentia et omniscientia¹¹. Canon, quo de diversis pantheismi speciebus agitur, qui a deputatione in annotatione schemati adiecta Patribus proponebatur¹², tamquam quartus schemati insertus est¹³.

Itaque caput primum cum canonibus secundum Patrum proposita reformatum¹⁴ distribuebatur d. 31. Martii¹⁵ et in Congregatione generali tricesima nona omnium fere Patrum suffragia tulit. Octo tantum Patres dissentiebant¹⁶. Quoad stilum a deputatione reformatum¹⁷ proponendum iam erat cum ceteris Constitutionis partibus in quadragesima quinta Congregatione generali¹⁸.

Alterius capituli et canonum ei additorum discussio specialis in Congregatione generali tricesima tertia d. 24. Martii incepit. Pergitur in sequenti et finitur discussio in Congregatione tricesima quinta¹⁹. Quae in ea propositae sunt emendationes²⁰, in Congregatione duodequadragesima inter Patres distribuuntur²¹. De iis agitur in tribus sessionibus deputationis²². Quid deputationi de singulis visum sit, in Congregatione generali quadragesima et quadragesima prima ex-

¹ Acta etc. C. V. 733 a sq. ² Emendationes etc. C. V. 98 a sqq.
³ Acta etc. C. V. 734 c. ⁴ Ex actis etc. C. V. 1671 c. d.
⁵ Relatio etc. C. V. 101 d sqq.
⁶ Ibid. C. V. 108 a sqq. 112 b. c. 117 b. c. Acta etc. C. V. 735 c.
⁷ Relatio etc. C. V. 108 d. ⁸ Ibid. C. V. 117 d sqq.
⁹ Ibid. C. V. 118 d. ¹⁰ Cap. II. Commentatio prima.
¹¹ Emend. etc. C. V. 98 d sq. Ex actis etc. C. V. 1671 c. Relatio etc. C. V. 105 a. b. 109 a. V. infra annotationem ad locum.
¹² Schema etc. C. V. 76 d. Cf. Ex actis etc. C. V. 1653 d.
¹³ Emend. etc. C. V. 101 a. Relatio etc. C. V. 115 a sqq. 117 e.
¹⁴ C. V. 119 a sqq. Cf. Ex actis etc. C. V. 1672 a.
¹⁵ Acta etc. C. V. 736 b. ¹⁶ Ibid. 736 c.
¹⁷ C. V. 216 d sqq. Cf. Ex actis etc. C. V. 1675 b.
¹⁸ Acta etc. C. V. 739 a. ¹⁹ Acta etc. C. V. 733 c sqq.
²⁰ Emendationes etc. C. V. 120 b sqq. ²¹ Acta etc. C. V. 736 b.
²² Ex actis etc. C. V. 1672 a sqq.